

1509 gnam se ex ea re molestiam accepisse : questum etiam apud illum fuisse , quod non secum de hostium consiliis apparatibus que communicarit , atque auxilium in tempore petierit : quod quoniam factum non sit , suas nunc opes terra marique amico se animo atque benivolo reipublicæ polliceri : petere , ut id quamprimum Lauredano Principi significet . Vix eæ literæ in Senatu recitatæ sunt , cum ab legatis Roma item literæ perferuntur , in quibus erat scriptum : ubi ipsi ad urbem appropinquavissent , misisse Julium qui diceret , velle se eos Romam noctu ingredi sine ulla obviam itione civitatis , neque ei sacra ministrari , quoad se convenerint : ipsum autem Julium statim se Hostiam contulisse , ut illi interim in contemptu & squallore diutius manerent . Cum autem is ad urbem aliquot post dies rediisset , uno ex legatis Hjeronymo Donato ad se vocato ostendisse , placere sibi , uti fœderis , quod Cameraci percussum sit , capita omnia impleantur : si Taurisum Forumque Julii respublica Maximiliano tradiderit : si juri , quod in Ferrariæ urbis dominatu , quodque in sinu Adriatico habeat , portorii ab omnibus , qui eo mari navigent , Venetiis solvendi renunciarit : si sacerdotia non modo provincialia , sed etiam urbana Pontificibus maximis remiserit , ipsa nullam eorum partem tributis exigendis interceperit : si se in ipsum deliquisse fassa fuerit , ejusque rei veniam subiectissime petierit , tum se interdictum remoturum : eorum si quid facere Senatus recusarit , suas se copias Maximiliano traditurum , regemque Galliæ idem facturum , ut is rempublicam opprimat . Adjuvisse autem eam rem totam ejusdem regis Galliæ magnopere legatos , qui ab Julio diligentissime petierant , ne ad se legatos Venetos admitteret ; ne ve interdictum aboleret , aut rempublicam sublevari pateretur : ita enim illum reliquis Italij principibus , & regum cæterorum omium animis & cupiditatibus arbitratu suo moderaturum , si reipublicæ non frænum modo , sed etiam vincula injecisset . His recitatis literis nullus ordo in Senatu fuit , qui non Julium omnibus probris & maledictis fuerit prosecutus : nemo , qui non se ipse magnopere damnaverit , quod legem de legatis ad